XXVII


KECKH

AUGURIUM
SALUTIS
EX
SERENISSIMORUM ET POTENTISSIMORUM
PRINCIPUM,
CAROLI,
COMITIS PALATINI AD RHENUM, DUCIS BAVARIÆ, ELECTORALIS FASTIGII HAEREDIS,
ET
WILHELMINÆ ERNESTINÆ,
NATÆ REGINÆ DANICÆ,
AUSPICATISSIMO CONNUBIO,
IN AUGUSTORUM STEMMATUM CERTISSIMA FIRMAMENTA, ET TUENDI PACANDIVE SECULI EXOPTATA COMMODA, ITA DEUS FAXIT, REDUNDATURUM,
DECANTANTE
JOH. CHRISTIANO KECKIO,
CONSILIARIO DURLACO-MARCHICO.



DURLACI,
Typis Johannis Salomonis Hakeu.
M DC LXXI.







COEperat ambiguis miſceri motibus Orbis,
Et priſcis inhiare malis, iterumque Megæra
Viſa fuit vibraſſe faces, quibus horrida quondam
Prælia, nec Regum placandi arſere furores,
Mortiferæque luis virus; cum Terra, Deorum
Obteſtata fidem, graſſanti occurrere Bello,
Et populatrices regionum extinguere peſtes
Inſtituit ſupplex, & opem tremebunda popoſcit;
Mene, Parens, affata Jovem, mene, optime divûm,
Perdere? me letho, me triſte furentibus armis
Immeritam vaſtare paras? hominesne ſepulcrum
Nunc iterum premet ante diem? cinis obruet urbes?
Arva ſitus? chaos, Orbis erit? vix ducta cicatrix
Vulnera disſimulat noſtris inflicta lacertis:
En! mortes, ignesque novi, labor ultimus, inſtant!
Cur Phaethontæis è caſibus eſſe ſuperſtes
Juſſa fui? cur immiſſæ pepulere procellæ
Deucalionæam, ne terras mergeret, undam?

Totq; retro sæclis, & adhuc labentibus annis,
Mars exscindendæ, vel cæde, vel igne, pepercit?
Si curæ sunt templa Tibi, si maximus Orbis
Rector adorari posthac cupis, arma facessant,
Et Lachesin sævire veta. sin perget Enyo
Vipereas quassare comas, civesq; flagello
Terrarum prosternet Eris; sin faucibus Orci
Diripiar, nostrosq; vorax Libitina colonos
Absumet properante gulâ; mox nulla precantum
Dona Tibi venient, nullo aræ thure calebunt.
Audiit, inq; gravis partem & consortia curæ
Acciri jussit Superos Saturnius omnes;
Mercurius mandata tulit: paretur, & ultro
Ad sacrum penetrale ruunt densa agmina Divûm,
Visere lætati Regem, & gemmantia tecta.
Aula Jovis, vasti mensuram fornicis implet,
Quo rutilas errare faces tellure creati
Suspicimus. per mille tholos ex Jaspide puro
Machina fulcitur tecti, qua luce pyropus,
Hâc paries, hâc tigna micant, & cusilis auri
Lamna pavimentum, Pario pro marmore, sternit,
Claraq; cæruleis ardent electra fenestris.
Eminet in medio sapphirina sella Tonantis,
Quam prope stans abacus sceptrumq;, trisulcaq; tela,
Et circum positas Divûm capit area sedes.

Huc

Huc coeunt, hic quisq; sua statione locantur,
Censenturq; Jovi; qui, dum sua numina lustrat,
Ecce, Deam cernit (quid enim non cernit?) abesse,
Natarum primam, Venerem, dicitq; ministro
Alipedi: cape, Nate, manu caducea circum
Serpentes obtorta duos; talaria plantis
Necte, humerisq; alas, & penna præpete raptus
Ad Paphias diverte Domos. mihi, grande vocanti
Concilium, Venus una deest, hominumq; salutem,
Et fata Europæ meliori ducta metallo,
Dum satagunt firmare Dii, communibus usi
Auspiciis, nutuq; meo, sacrum illa Senatum
Deserit, & roseis forsan lascivit in hortis,
Forsan odoratos comit placitura capillos.
I velox, & quære Deam, nostrisq; repertam
Sedibus inferri, & suffragia jungere, manda.
Ille, polo delapsus, aquas montesq; volatu,
Oppidaq; & sparsas Ægæo Cycladas alto,
Per gyros, quos ales agit, cui præda coturnix,
Turturis aut celsa spectatur pipio nube,
Præterit; ut subito, versus Paphon aera findens,
Conspexit famulos, & aves, currumq;, rotasq;,
Vectantes Amathuntis Heram. fragrante columbas
Germine frænarat minimus puer inter Amores,
Præcipitq; vias bijugis auriga Cupido.

Cortice Panchæo carpenti obducitur asser,
E Libani arboribus fit curvatura rotarum,
Sub radiis odor halat Arabs, nardoq; Sabæo
Ungitur, & casiæ rorantibus, orbita, succis,
Spirat Achæmenio crystallinus axis amomo:
Quaq; super vehitur, surgunt nova nomina flores
Inscripti, plexæq; rosæ genialibus herbis,
Et Dominam moto venerata cacumine myrtus.
Ipsa Venus, quantum formæ cultusq; Deorum,
Quantum hominum genus omne capit, transcende-
te visa est.
Immortale jubar vultus, & labra, genasq;,
Caltha notat, sed tincta croco, niveosq; per artus
Diffusus vigor æternum decus esse revincit
Cypridis, & prono reverendum poplite numen.
Talis in ambrosio micuit Venus ore, Tonantis
Germanæq; parans connubia. talis Adonin
E Prænestino per amœna rosaria prato
Sectatura, pedis vitiavit vulnere florem
Carpathius jam Divus sinus superarat cuncto
Littoraq; Icariis & Cynaræa reliquerat arva;
Jamq; potentis remonis Amor tranare parabat
Nubila, qua tepido Boreas obvertitur Antro,
Trans Italis Alpes, Rhenumq; Lycaonis urbe,
Admonitu genitricis, iter flexurus ad axem

Vidit

Vidit eos Majâ genitus, Veneriq; parentis
Jussa tulit; quin, rumpe moras, ait, astraq; mecum
Scande, domumq; Jovis, Venus, ô Jove digna marito,
Ni Jove nata fores! Divûm gavisa patebunt
Atria, qua tuleris, Dea formosissima, gressum,
Sacraq; complebunt hilares oracula voces,
Nec poteris, nisi dulce, loqui, mortalibus unde
Firmeturq; salus, & honos, & copia rerum.
Quin, age, verte rotas. Super hæc Venus ora resolvit,
Ora Cupidinei stillantia nectar Hymetti;
Frater Atlantiade, jussis ero prompta paternis
Obsequium præstare decens: mora nulla, revertar
Ocyus, & studium præsens commune juvabo.
I, refer ista Jovi; motis Cyllenius alis
Æthera conscendit, quo tramite flamma per auras,
Quo volitans assurgit avis, Regiq; Deorum
Hæc responsa tulit. Venus aurea cursibus instat
Interea, gelidamq; Noto pernicius Arcton
Occupat, & bimares Cimbrorum allabitur urbes.
Sunt loca Parrhasio sub sidere; frigus iniquum,
Horaq; præcipitans hibernos condere Soles,
Offenduntur ibi: Caput HAFNIA gentis: ab Orbe
DANORVM Regum numerantur sceptra creato.
Imperiis horum, quaqua Borealibus oris
Terrarum spatia ampla patent, mariumq;, reguntur,

Nec, licet indignis exercita casibus, hosti
Esse tremenda minus, minus esse potentia, constat.
Ut quondam duris accisa bipennibus ilex,
Quam centum nutrivit Athos per sæcula cretam,
Vulneribus valet ipsa suis, potiusq; salubri
Robur ab interitu foliis & frondibus infert.
Tum quoq; vix gemitus, & lamentabile murmur,
Vix acres oculorum imbres, & nuntia cladis
Horrificæ, cœlis FRIDERICO accedere jusso,
Signifero Heroum FRIDERICO, & Principe
Regum,
Desierant; obitu cujus ferale periclum,
Fataq; sueta sequi raptas ex fascibus Umbras,
Invidia Superis mota, præsagit Orbis,
Sed NATI correcta manu. Subit ille paternum,
Regnorum moderator, onus, sceptrumq; prehendẽs,
Et gladium meritis ulturum cædibus hostes,
Jura suo Boreæ, populis nova gaudia, reddit,
Atraq; tristitiæ, Sol ortus, nubila pellit;
Unde recollecto lætantur pectore Cimbri,
Parcarum obliti scelus, ærumnisq; soluti,
Ac, velut ex Erebo, dias revocantur in auras.
Tethyos ut quondam ridet chorus, undiq; visis
Halcyonum gregibus promittere suda, nec Euris,
Aut importunis obnoxia tempora Cauris:

Un-

Undarum ira fugit. ludunt super æquore Nymphæ
Pube tenus nudæ. Triton vocalior exit
Fluctibus, & nullo demulsus Arione delphin.
Hanc Aulam generosa petit, REGISQUE SO-
RORE M,
At! quam divinam, quam nil mortale tenentem,
Quam sexum prægressam animo, virtutibus annos!
Cypris, & augustæ fulcrum memorabile Gentis,
Cuncta PALATINI victurum sidus Olympi
Sidera, conjungit CAROLUM, lucemq; sub ipsam
Et vespertinæ sacrum solenne choreæ,
Mille inter plausus, vota inter mille, Trionum,
Par æquale sibi, proavi PAR Regibus ortum,
Forte joco salibusq; vacans, forte oscula miscens,
Et genio indulgens, & amoribus otia fallens,
Abripit, & nitido tollit super æthera curru
Sic in frondosæ perhibetur vallibus Idæ
Armigero Jovi esse puer, pincerna Deorum,
Tale nihil metuens, pecoriq; intentus agendo,
Per liquidum, per mane, poli sublatus ad astra.
Mirantur pilenta Deæ, lætisq, profectos
Collustrant facibus Borealia sidera Divos,
Lucidiusq; micant, & nullum triste videtur,
Quam patria indignans contemni plaustra Bootes.
Ut venit ante fores, adamantina regia cœli

Panditur, & Venerem nutu clementer salutat
Jupiter, insolitosq; jubet recitare triumphos.
Conticuere Dii, quorum augustissimus ordo
Regem utrumq; latus stipabat, & Idalia infit:
Sancta hominum Divûmq; Parens, qui præsidia rerum
Fila jubes Parcas æternis ducere fusis,
Vosq; Dei, pars mente mihi, pars sanguine juncti:
Hoc ego quod feci, quodq; hæc connubia sanxi,
Quodq; duos Reges ad vestra palatia duxi,
Credite, non temere, Jovis aut sine numine, factum.
Quo studio [illegible] salus, vestra unica cura,
Obfirmari hominum, quo pax amissa reduci,
Quam sacra pangendo tantorum fœdera Regum?
En! CAROLUM de stirpe satum, quæ Teutonas inter.
CÆSAREOS fasces, Latiæq; insignia gentis,
Prima tulit rectrix, & idonea sæpe gerendis
Cognita, tot vicibus Romano præfuit Orbi,
Quæ et fuit hunc justo defendi Marte necessum,
Consilioq; gravi. non hic Æneæ nobis
Carior est soboles, non Regum Octavius [illegible]
Cui primo AUGURIUM [illegible] inclyta Roma
SALUTIS
Una Domus vastam late dominantibus implet
Regibus Europam, neq; purpura fulget honore
Quæ

Quæ sibi progeniem BOIORVM haud ducat Avorum,
Quæve PALATINAS non tangat origine ceras.
Ille togâ valet, ille sago: Germania pace,
Compositisq; domi turbis, res publica si quem
Passa fuit casum, aut poterat passura videri.
Quin contra externos hostes, pulsoq; Tyranno
Sospes Othomanide, qui circum castra Viennam
Duxerat, & prostrarat acinace cuncta tremendo,
Læta est virtute virûm de sanguine tanto.
Te memoro, Solymanne Ducis quē dextra PHILIPPI
Compulit Austriacis fugitivum excedere terris,
Et prædas, & mille neces, in fontibus ulta est.
Terga dedit ferale caput, fugitq;, ruitq;,
Per, quot humi jacuere, viros, per signa cruentæ
Stragis, & admorsas moribundorum ore sarissas.
Ipse PARENS sublime decus cui congener auget
Albion, & proprium materna BRITANNIA fulcit;
Quiq;, fatigandis Fortunæ assultibus acer,
Pluribus e lustris animos opponere doctus,
Adversum rigidos fatorum occalluit ictus.
Pectore sic Reges vincit, successibus hostes,
Officiis cives, & se virtutibus ipsum.
Ut lapsa tellure satos, jam vivus, humique
Obversans, æquanda ferat præconia Divis.

Quid

Quid GNATVM memorem, quem cernitis omne potestis,
Cœlicolæ, nullum sed, vestra pace, potestis
Huic CAROLO formasse parem. Prælegit in unũ
Quicquid ubiq; boni tenuit Natura creatrix.
Mente sagax, ardens animis, & corpore pulcher,
Inferius nil PATRE minans, par ausibus altis,
Par idem forti, quæcunq; sit illa, regendæ,
Indignas aut ferre potens, aut impete forti
Corrigere vices, Regûm divina propago:
Urapit Aonias ut Apolline plenus in artes
Fertur & in patrias primas tenet ipse Lycæo,
Maturis senibus Juvenis, doctoribus Heros,
Ingenio, studiove, prior! certamina poscis
Martia? densatos aggesto pulvere muros
Scandere ludus ei, & stantes super aggere primus
Vulnera ferit ense pugil. Jove natus olim
Judicet an sit eques: quid in aere turbidus erras,
Pegase? quid Lycia campos teris? excute dorso
Bellerophontæ tuum CAROLO sessore triumphis.
Mars uter invicto libeat, conquirere certum est,
Hostibus aut dubiis pietatis tendere lauros.
Hoc Agamemnonias decuit constantia pugnas,
Cum Phrygas impeteret, patriis vectus Mycenis.
Hic sobolem Alcmenæ lusisse monstra domantem
Impetus, & prolugus tuens feroci Divo.

Re-

Regaline thoro foret hic fruſtrandus? an iſtis
E thalamis læti ſurgent in ſæcula fructus,
Et magis, hoc pacto, Superorum cura levatur?
Nunc Sociam ſpectate, Dii: tu, maxima Juno,
Præ reliquis, tuq; obverſâ gravis ægide Pallas;
Ambæ præſtantes virtutibus, artibus ambæ:
Namq; ſuos Dictynna diu mihi faſſa labores,
Per Boreale gelu venante hac PRINCIPE, vinci.
En pretium revehens puero Jove temporis acti
Fœmina! Dîs ſimiles quot in uno corpore dotes,
Quot rerum miracla ſtupes! genus edita CIMBRIS
Regibus, à ſciſſo WITIKINDI ſtemmate celſos
Dinumeraret avos: Patrias memoraret habenas
Norvegos, Danoſq; &, belli fulmina, Gotthos,
Codani trans clauſtra ſinus, quem Seſtos Abydo
Oppoſita, & gemini vis munitiſſima caſtri
Præcingunt; ſuper Oceanum, quo grandia cete
Balænaſque truces capit Argo emiſſa quotannis;
Quin veſtigatas, obſcuroque indice notas,
Præter Hyperboreum terras rexiſſe profundum,
Vix gentes ubi nomen habent, ubi bruma perennis,
Trux liquidas ubi Lappo nives è cornibus alces
Haurit, & e pinus ſiccato cortice libum
Pulvereo cum piſce coquit, pontique gelati
Accola, trans Thulen, qua priſcis linea rerum
Finiit,

Finnit, induitur niveos hirſutulus urſos,
Aut Moſchi propior ſceptris, Aquilone ſub ipſo,
In cute Sibericæ muſtelæ ditius alget:
Ni, propriis ornata bonis, augeret avitum
WILHELMINA decus, præcelſaq; jura, potenſque
Imperium, & quicquid per centum ſæcla repoſtis
Fulget imaginibus, forma & virtute præiret.
Forma quidē mihi (noſtis enim, neq; gloria vana eſt,
Etſi Priamidæ ſteterit ſententia caro)
Non adeo ſpernenda datur: ſed, quotquot adeſtis,
Creditis hanc Venerem, præ me, ſcio, meq; puellam
E grege Nympharum ſolito ſervire Deabus.
Præ jubare hoc, pallere noter. præ fronte ſerena
PRINCIPIS, obſcurum tuear. præ geſtibus illis,
Ruſtica ſim. Quod ebur manibus! quod crinibus
aurum!
Quam nihil horum æquat mea tota ſuperbia! cedo,
Cedo Deæ: Venus eſſe negor, Venus iſta virago eſt.
Jam dotes, Regina, tuas, quibus inclyta polles,
Et genium, moreſq; pares natalibus altis,
Atq; tuas artes, venerabile numen Athenis,
(Utraq; da veniam, procul ira, vera fatenti)
PRINCIPIS unius ſub pectore, Pallas & omnes,
Si quod Majeſtas, ſi quod Sapientia, culmen
Extulit humano ſublimius orbe, colamus.

Si-

Sic ne data est CAROLO splendore simillima conjux,
ERNESTINA, Deæ? similiq, est juncta Marito,
Una tenens hominum tribus addita dona Deabus,
Os Veneris, Junonis opes, animamq; Minervæ?
Sic ne satis videor vestros juvisse labores,
Rex Superum, Superiq;, rogo? partesne peregi
Rite meas, hominumq; per hæc connubia rebus
Consului? quin, secretæ sint Regibus iræ,
Sint taciti nexus, nec formâ simplice vires,
Armaq;, conspirent. audito hoc fœdere, pacem
Nulla per Europam violentia sponte lacesset,
Tectaq; bellorum molimina tardius ibunt.
Vos reputate tamen, SPONSOS ne remittere terris
Proderit, aut meritis jam nunc distinguere stellis?
Dixit, & e curru flammas imitante levatos
Ipsa stitit NUPTOS coram Jove: multa favoris
Concio cœlestum dedit argumenta locutæ,
Et fundam, & curas vultu gratante probavit.
Uni Gradivo frons horruit aspera rugis,
Pacatumq; Orbem doluit vixq, arma minato
Murmure plena, loci sancti memor, ore repressit.
Et poterat nocuisse; suo nam numine plures,
Et rebus gestis, acquisitisq, tropæis,
Vel sibi conciliat, vel terret in æthere, Divos.
Præter eum, nonnulla Deo, qui præsidet uvæ,

He-

Hesterno exciderant plenum redolentia musto
Scommata; sed Bromium quis curet? is, Orgia docti
Et thyasum saltare levem, jactantior Indos
A se devictos, domitosq; extollit Iberos,
Pentheaq;, Alcithoenq;, & cæsum crura Lycurgum,
Pampineamq; hastam quatiens, bella, horrida bella,
Ebrius ore crepat, pacisq; opponit olivæ
Bassaridum thyrsos, &, lyncum frœna, corymbos.
Ast Pater, hæc uno compescens omnia nutu,
Alloquitur Venerem: placuit mihi fœdus amoris
Quo tua dextra duos, devinxit, Filia, Reges,
Constituoq; ratum. sed enim præsentia terris
Numina sint SPONSI, nec adhuc super astra locentur,
Donec adorandis implesse nepotibus Orbem
Constet, & æternæ Soboli sua sceptra dedisse.
Hos igitur, Venus, ipsa reduc, & sedibus inter
Teutonicis; hæc effatus, clarum æthere sudo
Intonat astripotens, & fœdera fulmine sancit.
Et simul ora sacro castorum adspergit Amantum
Nectare, purpureas & vultibus oscula figit:
Qualis honor divis Heroibus obtigit olim
Amphitryoniadæ, quemq; edidit aureus imber,
Et [illegible] utriusq; aliis, sed tempore demum
Quo subiere polos, humana fæce soluti.
Obruitur PAR GRANDE bonis, subitamq; necdum
Gau-

Gaudia mente capit: consternatiq; monentur
A Venere, ut cœlis abituri, præ Jove summo
Genua ter inflectant, ter adorent aurea sceptra.
Hoc faciunt, & jussa Deæ, pro lege, sequuntur,
Fortunati ambo, vivis quibus atria Divum
Fas fuit inspicere, & sacris humoribus ungi.
Dein, gradibus retro pressis, augusta Deorum
Limina, fulmineumq; pii liquere tribunal,
Moxq; leves carpsère vias, duce Cypride rursum,
Cypride, cum Nato, vecti, Nemetumq; sub arvis,
Qua Nicer ad Rhenum genito certare Lyæo
Gestit, & ulvosum præcingit frugibus amnem,
Arce PALATINA steterunt. Vetus illa, sed ingens,
Auctorumq; notans vires, per Martia longum
Tempora, ne capiant, victores arcuit hostes,
Arte operis, celsoq; situ. Stant ostia centum
Nixa columnarum fulcris, stat eburneus ordo
Clarorum de gente Ducum, structisq; superba
Arcubus, & cœlo surgit contermina moles.
Hac iter est. hac arce Venus, pertæsa Cytheres,
Piscosæ pertæsa Gnidi, præ divite Cypro,
Præq; domo, quam fulcit Eryx, considere malit.
Jamq; Cupidinibus venit undiq; cincta, Jocisq;,
Quos Lepor, intactiq; Sales, & amœna Voluptas,
Et Risus comitantur, & albis Gaudia pennis,

Et

Et lituo, Paphii certaminis indice, ſignans
Adventum, præcurſor Hymen. Sed Fama tubarum
Ingreditur clangore prior, lætisque canora
Vocibus, optatæ populo ſolennia pompæ
Nunciat, & dextrum plauſuris gentibus omen.
Quod ſtudium, Dî, quanta vias contentio plebis
Sternere! ut obſequiis, ut cultu, fervere paſſim
Compita, ut officio, prævertere quiſq; ſodalem!
Non ita, turrigeræ cum jam rugire leones
Percepere Deæ, Corybantiaq; æra ſonare,
Idæi nemoris cives; non Elide palmas
Diſtribuente, ſuis ex urbibus undiq;, ludos
Aut habitum, aut viſum, tot confluxere Pelaſgi.
Dumq; propinquantes ſpecula cernuntur ab alta,
Et mox ferre pedem ſacræ prope mœnia ſedis,
Indigetes riſere Dei, luxuq; celebri
Inſtruxere dapes. feſto ſimul Aula tumultu
Perſtrepuit, fidiumq; choris; Urbiſq; Senatus,
Doctorumq; cohors, occurſantesq; catervæ,
Hinc eques, inde pedes, quibus HEIDELBERGA referta eſt,
HEIDELBERGA potens armis, opibusq;, virisq;,
Per, quanquam lato diſtentas cardine, portas,
Anguſtas tamen, & vulgo exundante minores,
Prorupere foras, interq; tonitrua nubis

Ful.

Fulgureos imitata sonos, crepitusq; rotarum,
Quassantumq; jubas indignantumq; lupatos
Cornipedum fremitus, permixtum gentibus agmen,
E cœlis sibi demissos clamore secundo
Excepere Deos, junctumq; hæc vota tulerunt:
Pangite, Progenies è semine creta Deorum,
Augusti felix Hymenæi pangite fœdus,
Auspicibus vobis, propriæq; accedite luci,
Quam Tyrio sortis venturæ præscia fuso
Nevit, inabrupto texendam stamine, Parca!
Tuq;, serenandi certissima temporis AUGUR,
Salve, fausta dies! ex te nascetur origo
Annorum serie pacis meliore fluentum,
Ex te crebra SALUS: &, si qua nocte beabit
Prole PALATINAS augusta PUERPERA cunas,
Tu, Fastis inserta, anni complebis honores,
Thureq; succensoq; frequens placabere costo.
Hæc Orbem spes summa fovet, succrescere stirpi
Hæredes rerum Dominos, ut longa trahantur
Stemmata, celsorumq; sequax prosapia Regum
Continuos sinat esse Lares, SVEONVMQ; perenne
Stet CAROLO cognata Domus, stet CIMBRIA dudum
Nexa PALATINÆ per mutua vincula Genti;
Quin, Superum juratus amor, stet CELTA propinquus

Ex

Ex EDUARDINIS, repetito fœdere, cædis,
Stet conſanguinei triplex diadema BRITANNI.
Utque Caledoniis alliſa repercutit Orcas
Fluctibus excretas vitreo ſalis inguine ſpumas,
Littoribusque refert; fruſtra ſunt ventus, & undæ,
Cogitur Oceanus ſubſidere, ponere Corus,
Porrigit e medio victrix caput inſula ponto:
Sic, ubi, ceu levis eſt, faciem Fortuna benignam
(Di prohibete nefas!) immutet, & arma reſumat,
Atque iterum terras hoſtili turbine perflet;
Allatraturos belli ſuperare furores,
Noxarumque æſtus, & fulmina ſortis acerbæ,
Usq; PALATINI poterunt, Orbique probabunt,
Quod cum ſideribus cœli diffuſa poteſtas
Par teneat virtutis iter, par occupet ævum,
Semper idem complexa jubar, rerumque voraci
Sceptra DOMUS PATRIÆQ; neget tutricia Fato.

